



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 2. An etiam justitia generalis sit virtus specialis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

RESPONDETUR. Si sumatur Religio, & obedientia, secundum rationem suam completam: hoc est, secundum vim imperandi, sic extendunt se ad æqualitatem Iustitiam. Nam una virtus potest imperare aliam. Cæterum, si completè Religio, & Obedientia sumantur, secundum vim eliciendi actus æquales Iuri alterius, & secundum præcisam attendentiam ad æqualitatem, sic, non se extendunt ad actus Iustitiæ, & objectum: sed ipsam æqualitatem, a qua sibi ratione restringunt; nempe, quia æqualitate v.g. colitur Deus, consequenter dant locum speciali virtuti ad attendendum æqualitatem Iustitiam: ad eum modum, quo, quia Rectificabilitatem operationum restringit Physica, per vitalitatem, dat locum speciali habitui Logice, attendendi ad præcisam illarum Rectificabilitatem. Quæ omnia infundantur in hoc principio. Habitus & virtutes in tantum multiplicari possunt, in quantum ipsa objecta, & motiva possunt habere specialitatem suam, in qua listi præcisè possit. Idque probat inductio, & præter inductionem, hæc Ratio: Quia cum virtutes, & habitus objecto & motivo specificentur, sicut datur specialitas motivi, in quo præcisè stare possit, ita debet dari habitus & virtus specialis, cum secundum numerum motivorum & objectorum, tanquam specificativorum, sit etiam numerus habituum & virtutum; ad eum modum, quo, quot sunt differentiæ animalis, tot sunt species animalium. Et sicut animal, quod est de se Ratio Communis, attendit non nisi ad totitatem differentiarum, & secundum illas se multiplicat; ita virtus & habitus, quæ sunt rationes communes, attendunt ad totitatem objecti & motivi, & secundum illam, se multiplicant.

Punctum Difficultatis 2.

An etiam Iustitia Generalis, sic virtus specialis?

DICENDUM est. Iustitiam Legalem, seu generalem, esse specialem virtutem. Ut intentionem Conclusionis probetur, repetatur explicatio huius ipsius termini, Iustitia Generalis, ex supra dictis, ex S. Thom. hic q. 58. a. 6. in Corpore. In hocque ratio huius Iustitiæ Legalis stat, quod est, respicere Jus Communitatis, v.g. Patriæ, quæ talis: & insuper, ita proponitur.

Generale dicitur aliquid dupliciter. Generale Logice seu per prædicationem, sicut animal est generale ad hominem & equum, & ad alia huiusmodi: quia verò dici sequitur ad esse, licet magis notificetur per dici, sit, ut detur generale aliquid in essendo, quale est ipsum animal ut sic, homo ut sic, &c. similia. Hæcque duo per modum unius generalis sumuntur, sicut ipsum esse & dici, & sicut ipsum esse, intelligi. Secundo, est aliquid generale secundum virtutem, sicut

causa universalis: est generalis ad omnes suos effectus, ut, Sol ad omnia corpora, quæ illuminantur, vel immutantur per virtutem illius. Si comparentur hi duo modi generalitatis inter se, prima generalitas, non distinguitur ab his, quorum generalitas non distinguitur physicè: Genus enim pertinet ad essentiam speciei: in qua quia, identificantur genus & differentia, sit, ut generalitas illa, non distingatur physicè ab iis, quorum generalitas est. Quia verò Iustitia non se habet, ut genus ad alias virtutes v. g. Religionem, Prudentiam, &c. similia, sit, ut ex hoc capite, non possit dici habere indistinguibilitatem suam physicam à reliquis virtutibus; tribuitur tamen illi generalitas secundum virtutem: quia etiam illa ordinat actus, aliarum virtutum in suum finem. Sed hæc generalitas, non arguit indistinctionem illius à cæteris virtutibus: quia generale secundum virtutem, non est idem in essentia cum his, ad quæ est generale: quia non est eadem essentia causæ & effectus.

Quia verò finis iustitiæ generalis, est bonum commune: videndi sunt adhuc modi huius ipsius ordinis: qui quidem modus, duplex est: Nam aliqua ita ordinantur ad bonum commune, ut actus aliquo modo non nisi ad illud ordinentur; & sic, bonum est communitatis etiam prudentia, & temperantia subditorum, &c. Et si proportionaliter ordinata virtute ad bonum communitatis acciperetur iustitia, non distingueretur ab aliis virtutibus.

Deinde, ita aliqua ordinantur ad bonum commune, ut illud per se, & quæ tale respiciant, attendendo ad Jus quæ tale communitatis, & hoc est Iustitia illa Legalis, vel generalis, quam esse specialem virtutem.

PROBATUR I. Auctoritate Aristotelis 5. Eth. 1. ubi ita loquitur. *Ob id autem ipsum, & aliorum bonum, ipsa sola iustitia ex omnibus virtutibus, & habetur, & est, cum sit ad alium. Agit enim ea, quæ alii vel Principi vel Reipublicæ conferunt.* Ubi vult Iustitiam esse ex virtutibus unam, & quidem Iustitiam legalem: quia conducentem bono Reipub: & paulo ante, cum posuisset Iustitiam esse virtutem perfectam non absolute tamen, sed ad alterum, addit adhuc illam esse præstantissimam virtutem. *Complures enim in propriis quidem uti virtute possunt, sed in iis, quæ sunt ad alium, nequeunt. Et propterea sententia Biantis illa bene se se habet: Magistratus Virum ostendit. Ad alium enim est, & in societate, jam ipse magistratus consistit.* Ubi Arist. virtutem, societatem, seu bonum commune respicientem, appellat perfectissimam virtutem. Tertio etiam Polit. c. 3. ait, *quod non sit simpliciter eadem virtus boni viri, & boni civis.* Subsumit S. Thomas, cit. *Sed virtus boni civis est Iustitia generalis, per quam aliquis ordinatur ad bonum commune.* Ergo non est eadem Iustitia generalis cum virtute communi.

R. P.
TH. MLOD
ZIA
Tom 3. c. 4.
D. VI
6

PROBATUR 2. Auct. S. Thomæ cit. Ex quo etiam hæc Ratio ponitur. Si iustitia generalis non esset specialis virtus, idè non esset, quia non esset distincta à cæteris virtutibus, quarum actus ordinat in finem; quod est bonum commune. Sed est distincta. Tum quia, Omnis causa & effectus distinguuntur inter se: Causa autem ordinationis cæterarum virtutum, est iustitia generalis. Ergo. Tum quia. Charitas potest dici virtus generalis, in quantum ordinat actus omnium virtutum in bonum commune; & tamen hoc non obstante, Charitas est virtus specialis. Ergo & iustitia generalis, specialis virtus erit. Tum quia, virtus respiciens bonum divinum, ut proprium objectum, est virtus specialis: Ergo & iustitia Legalis, quæ respicit commune bonum, ut objectum proprium, erit virtus specialis.

PROBATUR 3. In hoc, quod est Iustitiam legalem esse specialem virtutem, duo includuntur, quod Iustitia legalis sit virtus, & quod sit virtus specialis: utrumque illi convenit. Ratio prioris partis ex dictis est: Quia attendere ad bonum communitatis, quæ tale, est perfectio potentia, sicut malum, velle subrutam communitatem, quæ talem. Quod autem iustitia Legalis competat esse virtutem specialem; Ratio præter dictas est: Quia si non esset specialis virtus Iustitia legalis, vel ex eo non esset: quia attenderet ad objectum valde generale, quia non est istud magis generale objectum, quàm Ens, ut Ens; quod tamen à Metaphysica ita attingitur, ut à nulla alia scientia attingatur, & tamen Metaphysica est scientia specialis. Ergo idem dicendum est, de objecto generali iustitiæ Legalis. Vel certè ex eo non conveniret iustitiæ Legalis esse virtutem specialem: quia bonum communitatis est conditio innexa singulis virtutibus. Sed hoc adhuc non obstat, quominus ad hanc conditionem, ita innexam, specialis aliquis habitus intendat. Quod ipsum probatur. Quia Ratio Entis est etiam innexa singulis objectis scientiarum, & virtutum, & c. Et tamen, hoc non obstante, adhuc, Ens quæ Ens, est objectum specialis scientiæ. Ergo idem in præsentī dicendum. Vel ex eo, quod non haberet speciale suum motivum, & objectum, ex cuius specialitate deducitur virtutis specialitas, & hoc non quia attendentia ad Jus boni communis, nulli alteri virtuti convenit.

Solvenda hic sunt Rationes Buridani citati à Valentia.

OBJICITUR 1. In oppositum Auctoritas Arist. 5. Eth. 11. *Hæc Iustitia non est pars virtutis, sed integra virtus.* Et infra. *Quid verò virtus & Iustitia hæc differat, ex dictis patet: Vtraque enim eadem est.*

RESPONDETUR. Quando Arist. dicit iustitiam esse integram virtutem, & non partem

virtutis, intelligendus est, quod non particulare, seu id, quod non est integrum bonum, respiciat iustitia legalis, sed bonum commune seu integrum, solumque ponit, quod formalitas virtutis in formalitate iustitiæ inclusa, non sit distincta realiter.

OBJICITUR 2. Cum eodem. Relatio operis virtutis ad bonum commune pertinet quoque ad essentiam uniuscujusque virtutis & ita Arist. 4. Eth. c. 6. de Magnifico ait, *non enim Magnificus in suum, sed in publicum decus sumptuosus est.* Et 3. Eth. c. 6. similia habet, de forti. Ergo nulla est specialis virtus, quæ prædictum bonum intendat.

RESPONSUM supra: Relationem operis materiale ad bonum commune, omnibus virtutibus esse communem: sunt enim bonum communitatis virtuosi Viri; Relatio tamen operis formaliter, propter bonum commune, non est innexa singulis virtutibus: ad quod bonum sic sumptum attendere, sufficit ad specialitatem virtutis.

INSTAT. Si ex eo iustitia legalis habet specialitatem virtutis, quia respicit bonum commune quæ tale formaliter, debet etiam dari virtus specialis, quæ respiciat bonum commune domus, dicaturque iustitia domestica, quod tamen nemo admittit.

RESPONDET Esparza q. 11. ad 2. cum Arist. & S. Thomæ: dari talem iustitiam. Posset aliter satisfieri huic difficultati; nempe hoc, quod est intendere bonum communitatis, quæ est domus, quantum ad præsens, ex duplici motivo fieri posset. Imprimis, ex motivo: quia quamvis parva, communitas tamen est, præcisè, quæ attendendo ad formalitatem huius communitatis, & sic hæc virtus non erit distincta à iustitia legali, ut sic. Ratio. Tum quia, universale identificatur pro statu physico particularibus. Ergo & bonum commune ut sic, bono huic communi in particulari, & huic alteri. Ergo, ad eundem habitum utrumque spectabit: sicut ad eundem habitum Physicum spectat consideratio ut sic Corporis v. g. naturalis, & talis Corporis, ad eundem item habitum Logicum, spectat Logice definitio, ut sic, & hæc definitio: & sic de reliquis habitibus. Tum quia, quæcunque difficultas ostenderetur in attendendo ad bonum familiæ, præ difficultate in attendendo ad bonum communitatis, hæc difficultas orietur, non ex ratione formali communis boni, quæ talis, cum utrobique eademque formalitas reluceat, idemque motivum specificans, sed tota difficultas erit, tenens se ex parte materiæ. Jam autem difficultas materiæ non specificat habitus, imò nec artes: hinc eadem statuaria fingit ex cera & ligno Mercurium. Tum quia, universaliter, ubi reperitur motivi identitas, ibi est & formale habitus idem, ut inductio ostendit; & ratio probat, quia illius solius alietas discernit,

cernit, habitus, utpotè specificativa ratio, habensque se ita ac rationalitas vel rugibilitas, quæ sola distinguunt hominem & leonem. Cum ergo hic, ut supponitur, habeatur motivum identitatis, quia supponitur esse motivum bonum domus, quatenus commune est, fit, ut sit etiam eadem species. Deinde hoc, quod est attendere bono domus, potest fieri ex motivo ditescendi v.g. providendi in senium, honorem per hoc augendi, &c. similia: & eo casu illi bono communis parvæ, quæ est domus, non attendit iam iustitia Legalis, sed rationabilis amor sui, & alii similes, proportionati habitus.

Obijciunt 3. cum eodem. Sinon pertinet ad quamcunque virtutem operari ex intentione boni communis, sequeretur posse virtutem male operari, quod est absurdum. Sequela probatur. Nam si actus alicujus virtutis, puta temperantiæ, sit laudabilis secundum alias omnes circumstantias, & malus duntaxat ob defectum circumstantiæ finis boni communis, poterit exerceri per temperantiam, si ad eam quidem ea circumstantia non pertinet.

RESPONDETUR. Quod imprimis suppositio sit impossibilis: quia ratio boni communis, in quantum circumstantionat ipsum actum temperantiæ, est innexa omnibus illis circumstantiis, spectantibus ad perfectionem actus. Sed quidquid sit de hoc, directe dici potest. Hoc, quod est actum temperantiæ reddi malum ob defectum circumstantiæ finis boni communis dupliciter contingere potest. Imprimis ob defectum non ferendi se in illum finem, & ob actum positivæ nolitionis, & contemptus boni communis; posterior hic actus malus est, non quidem ex aliquo referibili in ipsum formale temperantiæ, sed ob annexum actum disordinatum, qui est contemptus boni communis. Si autem sit prior defectus; dupliciter adhuc contingere poterit. Imprimis, negligendo actum imperare, qui sit intentio boni communis, & tunc ille actus temperantiæ non erit malus, sed imperfectus, imperfectione tali, quæ potest contingere etiam circa alias virtutes. Secundo potest contingere ille defectus ex mero dictamine, quod ad temperantiam non spectet intentio boni communis, quo casu non redditur ille actus malus, quia non facit tunc temperantia contra debitum, cum illa, quæ talis, bonum commune quæ tale non teneatur intendere.

Punctum Difficultatis 3.

An Iustitia sit Virtus præstantissima?

EXPLICAT I. Valent. & Ponit 1. Quod scilicet iustitia non sit præferenda virtutibus intellectualibus v.g. Prudentiæ, quod item Legalis, sit perfectior aliis omnibus virtutibus mor-

ralibus. Ratio, quia habet pro objecto bonum commune, quod præstat cuicunque bono particulari. Aliam etiam rationem hujus assignat: quia imperat omnibus virtutibus moralibus; sed hoc imperium non attollit illius dignitatem, cæteris paribus: quia ad invicem virtutes habent Jus sese imperandi.

Ponit Rursus Valentia. Misericordiam non esse perfectiorem simpliciter omnibus virtutibus moralibus: Ratioque est, quia misericordia non est formaliter charitas, licet ad eandem revocari possit: ea autem quæ ad aliquid reduci & revocari possunt, non est necesse habere dignitatem ejus, ad quod revocantur; aliàs cum sanitas pomi sit revocabilis ad sanitatem animalis, deberet habere dignitatem animalis. Quod autem Misericordia non sit formaliter charitas. Ratio est, quia potest aliquis moveri, non titulo amoris, sed titulo meræ honestatis, inclusæ in subventionem miseris: non autem titulo bonitatis, inclusæ in afflicto: ipsique in nobis experimur, alium affectum esse beneficiendi ex amore, & alium beneficiendi, quia miser est, quia sublevatione indigens; titulus autem miseriæ hic formaliter spectat ad misericordiam, in quantum misericordia specialis virtus est.

PONIT 2. Pietatem excellentiorem esse justitiâ particulari. Sed hoc etiam limitatione sui indiget, quia si nomine Pietatis veniat species aliqua justitiæ generalis, sic bene superior erit præ particulari: quia etiam ipsa bonum commune suo modo attendet. Sed si nomine Pietatis, veniat justitia, quæ sit justitia particularis, licet, ut dicunt, non rigorosa, sic non excedet principale suum; sicut nec alia revocabilia suum principale excedunt. Et certè laudabilitas tota Pietatis stat: quia est quædam species justitiæ, quamvis non rigorosa. Ergo ipsa justitia rigorosa, multo erit excellentior: ad eum modum, quo lux imperfecta, hoc est crepusculum expellit tenebras, multò magis expellet lux meridiana.

PONIT 3. Quod Religio sit excellentior justitiâ: quia objectum cui, nempe Deus, longè est excellentius quàm quodcunque aliud reperiibile in justitia, sive Legali, sive Particulari.

Concludit tandem Valentia, justitiam particularem perfectiorem esse aliis virtutibus moralibus, quæ sunt circa bonum proprium, moderando passiones. Rationem dat. Tum quia, æqualitas ad jus alterius, majorem habet affinitatem cum præstantissima parte hominis, scilicet cum parte rationali, à qua nimirum sola potest id objectum percipi: cum tamen virtutes moderatrices passionum habeant objectum sensibile. Tum quia, objectum justitiæ, cum sit bonum alterius, trahit secum communicationem cum altero, in quo resplendet maximè ratio boni. Tum quia, objectum justitiæ ma-

ximè